



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lvgdvni, 1659**

Cap. I. De Originali peccato.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41066**



## EXAMEN PRIMVM

Circa materiam de Peccatis in genere.

### CAPVT PRIMVM.

#### De Originali Peccato.

1. **Q**uid peccatum Originale, quod in ipsa origine, seu conceptione contrahitur? Est priuatio iustitiæ, & sanctitatis, quæ singulis hominibus debuit inesse ex pacto Dei cum Protoplasto. Hinc fit Originale peccatum mortem animæ esse, cuius vita gratia, & sanctitas est. Vnde patet peccatum Originale concupiscentiam non esse; quia peccatum Originale tollitur per Baptismum, concupiscentia autem post Baptismum permanet. Dicitur autem concupiscentia peccatum à Paulo, quia est radix, & causa peccati.

2. Num Originali peccato vera inest ratio peccati; Inest; quia voluntarium est, non quidem voluntate propria, sed aliena, quatenus posterorum voluntas in voluntate Adami continebatur, cum quo Deus pactum inuit, vt si vetitum fructum absumeret, iustitiam in posteros non transmitteret.

3. Contrahunt ne omnes seu fidelium seu infidelium filij peccatum Originale? Contrahunt, nisi quis speciali priuilegio eximatur, vt Deipara.

4. Si quis à Deo crearetur, aut ex humana carne decerpere- tur absque seminali propagatione, contraheret ne Originale peccatum? Non; quia cuncti peccatum Originale ex peccato Adami per seminalem generationem contrahimus. Hinc Christus (præscindendo, quia Dei filius, & quia vt homo speciali priuilegio si opus fuisset donatus esse) peccati Originalis fuit expers; quia per lineam virilem, & seminalem generationem non traxit originem ex Adamo.

5. Quanam sunt pœnæ addicti pueri, qui cum solo Originali peccato decedunt? Subeunt pœnam damni; nec enim beatifica Dei visione frui possunt iræ filij, & Dei inimici. Pœna autem sensus torquendi non sunt, quæ quidem soli actuali crimini præparatur.